

vocationi innituntur; aliud enim est eandem esse dignitatem eundemque ordinem episcopatum aut presbyteratum, aliud fuisse aliquando nomen presbyteri utrique commune, vel eandem personam auctam esse utraque dignitate. Porro presbyterorum nomine singulares in singulis Ecclesiis Episcopos intelligit Irenaeus L. III. c. 2. L. IV. cc. 43. 44. Itemque Clemens Alexandrinus in L. IV. Stromat. cum prius gradus ecclesiasticos in presbyterum et diaconum tribuisset, mox distinctius loquens enumerat progressionem episcoporum, presbyterorum, diaconorum; idemque videre est in Origene hom. XI. in Numeros. Προεστως autem, de quo Iustinus in Apologia 1^a, ipse est Episcopus.

Ex eo vero quod Episcopi simul cum presbyteris, imo et diaconis Ecclesiam suam administrarent eorum scilicet consilio et opera usi (Cypriani epist. LXXI, CCXIII) quod et nunc faciunt, non sequitur superiorem non esse iure divino Episcopum presbytero. Neque id sequitur ex eo quod Episcopi presbyteros appellarint compresbyteros; est enim vera consociatio in Sacerdotio: imo et diaconos vocabant identidem condiaconos ut Gregorius epist. inter basilianas XLVII, Basilius epist. CCLXV, Augustinus ep. CXCII, et Fulgentius ad Ferrandum epist. XII: quin exinde liceat inferre unum fuisse ordinem episcopatum et diaconatum.

Qua in re corrigendus est Auctor anonymus Quaestionum V. et N. Testamenti qui in q. CI. *De iactantia romanorum levitarum* (cuius saltem quaestionis nequit censi auctor Hilarius Diaconus Romanus Luciferianus) negat episcopum dicere ministros *condiaconos suos*. Idem auctor vestigiis insistens Hieronymi ad retundendam superbiam diaconorum dignitatem extollit presbyterorum, ac inter alia refert quod « in Alexandria et per totam Aegyptum, si desit episcopus, *consecrat* (al. *consignat*) presbyter. » Item auctor commentarii in epistolas Pauli inter opera Ambrosii in c. 4. ad Ephesios ait « Apud Aegyptum presbyteri consignat, si praesens non sit Episcopus. » Verum id extraordinarie faciebant ex permissione speciali; consecratio vero, de qua in priori testimonio est sermo, non est nisi consignatio, ut alia lectio habet.

V. Nunc demonstrandum est ritum sacrum quo Episcopus initiatum esse sacramentum distinctum ab eo quo initiatum Presbyter: quod quidem defendimus ut theologiam veritatem. Fuit enim sententia quorundam Scholasticorum antiquiorum potestatem episcopalem non esse proprie characterem, saltem eo sensu acceptum quod sit novus character a presbyterali distinctus; nec episcopalem ordinationem sacramentum esse distinctum ab ordinatione presbyterali: ideoque Episcopatum, prout talis est seu prout est aliquid aliud praeter pre-

sbyteratum, non esse vere Sacramentum. Etenim, aiebant, per potestatem episcopalem homo non ordinatur directe ad Deum sed ad corpus Christi mysticum, licet ea potestas indelebiter maneat sicut character, eo quod per consecrationem datur: praeterea unus ordo qui sacramentum sit non pendet a praecedenti quantum ad necessitatem Sacramenti; episcopalis autem potestas pendet a presbyterali eo quod ea non possit recipi nisi haec prius habeatur: tum sacramentum ordinis septem ordinibus constat: constaret autem octo, si Episcopatus esset sacramentum. Scilicet omnis ordo sacramentum ordinatur tanquam in finem ad Eucharistiam pro qua conficienda datur potestas sacerdotalis: cum ergo Episcopus non habeat quoad hoc aliam potestatem a presbytero, nec possit esse perfectior potestas: sequitur episcopatum, prout a presbyteratu distinguitur, non conferre novum characterem, nec sacramentum esse. Concedebant tamen esse ordinem prout ordo est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum, ordinemque esse institutum a Christo cum sit potestas spiritualis indelebilis conferendi sacramenta quaedam, atque ordinem iure divino superiorem presbyteratu quia iure divino potest solus presbyteros ordinare, iisdemque praeesse debet. Cf. Scholasticos citatos a Vasquez in III p. D. CCXL. c. 2. et D. CCXLIII c. 2. licet non omnes in omnia consentiant. Cf. S. Thom. in Suppl. q. XL. a. 5. et q. XXXVIII. a. 2. ad 2. Quidam ex veteribus, ut Paludanus in III. d. XXIV, q. 7. a. 4. qui forte clariori modo communem sententiam proponunt, negant quidem per episcopalem ordinationem conferri novum characterem, docent tamen extendi praecedentem, quia episcopus plus potest; potest enim ordinare et confirmare, quod prius non poterat. Huic affinis est sententia Vasquez in III p. D. CCXL, c. V. n. 54. coll. CCXXXIX. c. VI. n. 57. qui negat per consecrationem episcopalem characterem novum conferri, aut etiam praecedentem verè extendi, sed affirmat novam potestatem in eo sitam quod sit relatio destinationis divinae eaque inamissibilis ad hoc aut illud ministerium, quae est extrinseca denominatio. Sententia est Petri Soto (De Institut. Sacerdotum Sect. 4), Bellarmini (De ordine c. 5) et plurium recentiorum Episcopalem Ordinationem Sacramentum esse a presbyterali distinctum eaque characterem proprium conferri, vel praecedentem ampliari ea ampliatione quae novi characteris impressioni aequivaleat. Cf. Morinum De Sacris Ordinationibus P. III. Ex. III. c. 1.

VI. Certum est argumenta veterum negantium episcopatum prout talis est esse Sacramentum, carere vi demonstrativa. Nam gratis assumitur per characterem directe non nisi ad Deum homines ordinari;

et ordines non nisi ad Eucharistiam ordinari, quo etiam dato consequens negandum foret: licet autem Episcopatus sit per se Sacramentum, non ideo desinunt esse septem ordines, quorum ultimus est Sacerdotium, si hoc duplex sit, primi scilicet et secundi ordinis. Quemadmodum vero exigentia praeexistentis characteris baptismalis non impedit quominus verus character per confirmationem conferatur, ita nec exigentia characteris presbyteralis id impedit quoad Episcopatum.

Nec satis cohaeret sententia negantium consecratione episcopali imprimi characterem, ac negantium potestatem ea collatam amitti posse ex Ecclesiae quoque ordinatione; quod ex eo probant quia talis potestas *consecratione* datur. Nam vel est consecratio a Christo instituta, ideoque Sacramentalis, et potestas per eam collata est verus character, vel est consecratio ab Ecclesia instituta, eiusque effectus permanentia ab Ecclesiae voluntate pendeat. (Vasquez l. c. d. CCXLIII, c. 1).

VII. In thesi defendimus et presbyteratum et episcopatum esse sacramenta, atque hoc non ideo tale esse quia idem sit ac presbyteratus qui sacramentum est, sed per se ita ut duo sint sacramenta. Et quidem presbyteratum esse sacramentum convenit inter omnes catholicos. Ex Scripturae enim testimonio, apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum est sacram aliquam ordinationem esse sacramentum (§. praeced.): pariter autem creditum est semper quod ad sacram ordinationem quae sacramentum est spectet ea qua sacerdotium traditur, ut aperte colligitur ex Tridentini doctrina Sess. XXIII, capp. 1, 3, can. 4, et appellatione sacerdotis prioribus seculis facta iis qui supremum ordinis gradum in hierarchia obtinent ad quam pertinet certe sacra ordinatio. Porro creditum est semper a sacerdotio separari non posse presbyteratum, presbyteros scilicet vere esse sacerdotes, ut liquet ex can. 3, inter citatos carthaginenses, et epistola decretali Innocentii I ad Decentium Eugubinum c. 3. et ex eo quod ipsi secundi ordinis quidem sed vere sacerdotes dicebantur et censebantur. Et sane creditum est ipsis competere potestatem sacrificandi, qua sacerdotium proprie constat, ac remittendi peccata, ita ut sint in Sacerdotio Apostolorum successores (Trid. ibid. cap. 1): ergo. Hinc apud scholasticos, quibus certum erat ordinem esse Sacramentum, quidam de diaconatu dubitabant an sit Sacramentum, non pauci praesertim veteres negabant de episcopatu per se sumpto: omnes vero affirmabant de presbyteratu.

Sane ut ex universa traditione constat, per ordinationem presbyteri confertur potestas inamissibilis conficiendi Eucharistiam et remittendi peccata, quae ceteris aliis non ita ordinatis nullo modo competit:

haec vero potestas a Christo instituta est, et ritus quo ea confertur is certe est quem Christus instituerit vel immutabiliter probaverit, quoniam postquam eo modo collata est, nequit ab ipsa Ecclesia auferri, aut alii concedi qui eo modo ipsam non acceperit: huic ergo ritui ex Christi voluntate connexa est collatio talis potestatis, connexione quidem efficientiae; nam haec est ratio rituum sacrorum in nova oeconomia quibuscum nexa est perenniter doni supernaturalis collatio. Habemus ergo in hoc ritu id quod proprium est Sacramenti, efficientiam nempe supernaturalis inamissibilis potestatis in corpus Christi reale et mysticum, specialis scilicet characteris. Gratiae autem sanctificantis collatio cum characterem cohaeret eo quod sine speciali sanctitate talis potestas nequeat ut oportet exerceri.

Nota penes Graecos etiam ad inferiores ordines conferendos, imo ad diaconissas quoque instituendas adhiberi impositionem manuum; at constat alio modo posse eos ordines conferri, ut liquet in Ecclesia latina (cf. canones carthaginenses); non ergo licet de hac impositione manuum illud affirmare quod de priori affirmavimus, esse nempe ritum a Christo institutum vel a Christo immutabiliter probatum pro certa potestate conferenda.

Iam quod spectat ad Episcopatum, advertendum est 1^o nullum, si Morino credimus (De SS. Ordinatt. P. III, Ex. XI, c. 2), exstare exemplum episcopalis ordinationis collatae non presbytero. Quae autem Marthene (De Antiq. Eccl. ritibus Lib. I, c. 8, a. 3) refert vel ea sunt in quibus historici non nisi terminum ultimum quem ordinatus attigit significare diserte voluerunt, vel quorundam privatorum ignorantiae deputanda sunt, quae communi consensui non praeiudicat. Advertendum 2^o perinde esse sive dicatur character episcopalis adaequate distinctus (seu realiter seu formaliter) a presbyterali, sive distinctus inadaequate quatenus est eius realis ampliatio et extensio ad effectus sacros producendos quos solus character presbyteralis non potest: nam eadem efficacia per se in hac altera hypothesis requiritur, quae in prima. Cf. Bellarmin. l. c.

Itaque episcopalem ordinationem esse sacramentum probant quidam ex eo quod demonstratur sacram ordinationem esse sacramentum ex verbis Apostoli iam explicatis (Trid. Sess. XXIII, cap. 3); atqui ordinatio, de qua ibi est sermo, est ordinatio illius qui Episcopus erat; ideoque ordinatio episcopalis. Verum respondere licet factum utique fuisse Timotheum episcopum ordinatione sacramentali, sed quatenus tali ordinatione presbyter est factus seu sacerdotium accepit quod est essentiale Episcopatu. Probatur ergo alia ratione ita. Sacramentum est ille ritus quo confertur divina potestas eaque iure divino inamissibilis sacramenta quaedam faciendi, et quo confertur interior

gratia sanctificans; atqui ordinatione episcopali confertur potestas ordinandi, confirmandi, quae est certe divina; nam aliquis ordo est certe sacramentum, et sacramentum est confirmatio: idcirco valet quod ait S. Thomas suppl. q. XXXIV, a. 2, « propter ordinem fit homo dispensator aliorum sacramentorum, ergo habet ordo magis rationem sacramenti quam alia. » Esse vero inamissibilem iure divino hanc potestatem patet ex doctrina Ecclesiae tradita superius (§. praeced.) de caractere, communique sententia Episcopum ab Ecclesia quoque sollemniter degradatum valide ordinare (Cf. Vasquez in III. p. Disp. CCXLIII, c. 2.). Gratiam autem sanctificantem conferri ex eo constat quod docente Trid. Syn. l. c. c. 4, per sacram ordinationem datur Spiritus Sanctus, quibus verbis gratiae infusio adsignificatur secundum communem loquendi rationem. Sic enim in controversia cum Donatianis utraque pars in id conveniebat, quod extra Ecclesiam non daretur Spiritus Sanctus h. e. gratia sanctificans. Hunc autem esse sensum tridentini canonis ex eo praesertim patet quod ibi infusio Spiritus Sancti distinguitur ab impressione characteris. Constat vero pariter eiusdem canonis auctoritate in ea sacra ordinatione dari Spiritum Sanctum, in qua Episcopus dicit ordinando: *Accipe Spiritum Sanctum*; porro haec verba in consecratione Episcopi dicuntur secundum Pontificale romanum. Nec refert haec verba olim non fuisse usurpata (cf. Marthene l. c. a. 10, n. 14), sensus enim necessarius tridentini canonis is est: in ea ordinatione in qua haec verba proferuntur dari Spiritum Sanctum, sive per ea sive per aliam formam sacramentalem detur (cf. Morino op. cit. P. III, Ex. 2, c. 2.).

Episcopus igitur est sacerdos, sacerdotiumque simpliciter obtinet propter ordinationem presbyteralem, fit tamen per ordinationem Summus Sacerdos eo quod per ordinationem episcopalem potestatem obtinet instituendi sacerdotes eosque regendi in celebratione mysteriorum et administratione aliorum sacramentorum, qui proinde dependenter ab ipso licite valeant munus sacrum exercere. Nec duo sunt in Episcopo *sacerdos* et *summus sacerdos*, *summus* enim seorsim per se nihil est: sed is obtinet esse *summum* ordinatione ea qua character sacerdotalis amplificatur, ut qui consecrare Euchariam potest ac remittere peccata possit et consecratores ac iudices animarum constituere, eosque regere.

VIII. Quid ergo est quod ait Hieronymus epist. CXLVI de institutione Episcopi Alexandrini? « Quod unus postea electus est qui ceteris praeemineret in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi Ecclesiam rumperet. (Idem ait in epist. ad Titum c. 1. « antequam diaboli instinctu studia in religione fie-

rent, communi presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabuntur. Postquam unusquisque quos baptizaverat, suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est ut unus de presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret. » Hanc sententiam Hieronymi transcripserunt postea non pauci, inter quos Alcuinus comm. in epist. ad Titum c. 1. Amalarius Symphosius de Officiis ecclesiasticis L. II. c. 13. PseudoAnselmus seu Hervaeus in c. 1. epist. ad Philipp. Patres Aquisgranenses an. 816. canonum L. 1. cn. 10. quos canones collegit idem Amalarius in regula canonicorum Migne v. CV). Nam et Alexandriae, sequitur Hieronymus, a Marco Evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant: quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et Archidiaconum vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus quod presbyter non faciat? » Cui simile est quod refert Liberatus Diaconus in Breviario c. 20. « consuetudinem esse Alexandriae illum qui defuncto succedit excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram eius capiti suo imponere, et sepulto manibus suis, accipere collo suo b. Marci pallium, et tunc legitimo sedere. » Consuetudinis Alexandriae relatae a Hieronymo mentionem facit pseudoAlcuinus De Divinis Officiis c. 37. (Migne P. L. V. CI) et Amalarius Symphosius De Officiis ecclesiasticis l. c. appellans consecrationem Episcopi. Si accipiantur haec ita ut ea tantum caeremonia Episcopus Alexandriae constitueretur, dicendum erit censuisse Hieronymum quod presbyter nulla sacramentali consecratione auctus possit ordinare, idque censuisse qui Hieronymi verba sec. IX exscripserunt. Et tamen negat Hieronymus posse presbyterum presbyteros ordinare, ceterique qui eum exscripserunt noverant certe ordinationem sacram episcopalem, eiusque necessitatem. Scilicet sermo penes Hieronymum est de electione, qua in re differebat Ecclesia Alexandrina ab aliis, quod penes presbyterium esset tunc temporis electio, et ex gremio tantum presbyterorum eligeretur successor: non secus ac modo fit in Ecclesia Romana (Cf. I. B. Sollerii dissertationem inter Acta Bollandiana Tom. VII Iunii, C. 1. Parergo I.). Si secus censeas, oportet ut dicas cuiusmodi fuerint hi Episcopi Alexandrini usque ad sec. III. labens, et quomodo presbyteros et episcopos in sua dioecesi ordinaverint; de fide est enim presbyterum non suscepta consecratione episcopali ordinare non posse, sicut de fide est Episcopos esse presbyteris superiores ac potestatem quam habent ordinandi non esse presbyteris communem. Trid. Sess. XXIII, c. 7; nec unquam mentio occurrit extraordinarii ministri ordinationis episcopalis aut presbyteralis. Quae quidem debuisset advertere Morinus op. cit. P. III. Ex. 3. c. 2. eruditus magis quam doctus Theologus.